



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dedicatio. Reverendissimo Perillustri, ac Amplissimo Præsuli Domino,  
Domino Ildephonso, Celeberrimi ac Exempti Monasterii  
Weichenstephanensis Ord. S. P. Benedicti Abbati Vigilantissimo, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

## DEDICATIO.

*Reverendissimo,  
Perillustri, ac Amplissimo  
Præfuli*

**DOMINO, DOMINO  
ILDEPHONSO,**

Celeberrimi ac Exempti  
Monasterii Weichenstephanen-  
sis Ord. S. P. Benedicti Abbati Vigilan-  
tissimo, Almæ, & Exemptæ Congrega-  
tionis sub Tit. SS. Angelorum Cust.

Benedictino-Bavaricæ

**PRÆSIDI GENERALI,**  
**Tertiū confirmato,**

Nec non  
Episcopalis, Inlyti Lycæi Frisingensis  
Assistenti perpetuo &c.

*Domino, ac Patri perquam  
gratioso, Patrono suo observan-  
dissimo.*





*Reverendissime, Perillustris  
ac Amplissime Domine, Domine  
PRÆSUL,*

*Patrone perquam Gratiose  
Observandissime!*

**C**onsolator Consolato-  
rem quærit. Ubi ?  
In Te Præsul Amplis-  
sime ! Vis causam ?  
Latent centenæ : dico unicam.  
Admitte ! suggessit gratus a-  
mor : non indignare !

Se-

## DEDICATIO.

Septennium est, Pater Reve-  
rendissime ! à quo sub Te Præ-  
side ( ò quanto mihi ) Novitios  
Fratres ad Regulam sanctissimi  
Patris Benedicti , ad conversio-  
nem morum , ad virtutem ,  
quam magnus Patriarcha do-  
cuit noster, erudire jussus sum ,  
tot, & tantis certè impar cona-  
tibus , nisi Te vivum Virtutis  
Benedictinæ exemplar habuif-  
sem , ad cuius normam Juven-  
tutem religiosam formare con-  
tenderam. Nec minùs in me-  
um ipsius, quām Novitiorum  
commodum Te Magistrō usus  
sum , dum adhuc ignarus re-  
rum , quas religiosorum prima  
institutio habet difficillimas , in  
Te respexi velut indubiam vitæ  
sanctoris Cynosuram. Et li-

a 3

cèt

## DEDICATIO.

cèt non semper pro virtute verbi perorares , docuisti tamen congenitò morum exemplò , Orator quidem studiose mutus , sed omnibùs eloquentior.

Dicerem majora de Te, Præsul Amplissime! verùm Opusculi ratio , & materia non patitur. Hæc cùm Ascetica tantum spiret , suos intra limites calatum vel invitum constringit ; nisi forsan vīta tua privata , & publica mera Ascēsis appellari mereatur.

Sanè tuam in Theologicis Sapientiam ad altiora sustollis , ut divinitatis arcana privatim mediteris , postquam publicis in concertationibus ad Præsidentium etiam ruborem dimicasti. Prudentiam in Jure utro-

## DEDICATIO.

troque amplissimam , quam non raro in velitationibus Scholasticis efficacem probasti, magnô zelô , ac providentiâ ad vitæ rectioris formam , ad subditorum necessitates , & commoda , ad tuenda Religions Jura sanctissimè convertis , & applicas. Subtilitates Philosophicas , rerûmque causas tam altè imbibisti, ut à visilibus ad invisibilia ascensum feliciùs doceas ; nihil in Te profanæ pateris scientiæ , quod non sacratiōri quadam Apotheosi ad superna transferas. Hinc illa Regiminis felicitas , asceterij tui flores , & incremen- ta ; hinc negotiorum tam gravium inexpectata expeditio , ut sœpè jam factum esse con-

## DEDICATIO.

spiciamus , quod , num fieri  
posset , dubitabamus. Verè  
*in via virtuti nulla est via!* Eò  
tua non semel jam ascendit ,  
quò alij non audent aspirare.  
Novit , quod scribo , Congrega-  
tio Benedictino - Bavaria ,  
quam Præses Vigilantissimus  
jam in decem annos ( opto &  
perpetuos ) gubernas tot inter  
adversa semper gloriosus , vic-  
tus nunquam. Novit Uni-  
versitas Salisburgensis , cuius  
nuper ex Provincia Bavaria  
Assistentem agebas ; quæ sapien-  
tiæ tuæ consilia admiratur , au-  
xiliaque , quæ toties exhibuisti  
amplissima , perenni agnoscit  
gratitudinis memoriâ. Novit  
Lycæum Frisingense , cui As-  
sistens perpetuus virtutis &  
pru-

## DEDICATIO.

prudentiæ tuæ radios indi-  
es affundis, & Nominis tui  
dignitate conservas, & prote-  
gis instar speciosissimæ Rache-  
lis. Testor novissima tempo-  
ra, quæ ob insolitam in Lycæ-  
um tam nobile sollicitudinem  
& curam tua merita omni po-  
steritati transcripserunt im-  
mortalia.

Taceo Asceterium tuum à  
Spiritū, & doctrina famosissi-  
mum, quod quid debeat *Con-  
solatori*, ac Mæcenati suo, tua  
jam pro initio auspicatissimi  
tui Regiminis de eo data pro-  
dunt Vaticinia: *Nova faciam  
omnia*. Fecisti gratulor! &  
hæc cuncta gloriosissima. Ta-  
ceo venerandam virorum gra-  
vissimorum coronam, qui tu-

## DEDICATIO.

am in conversatione vitæ spe-  
ctatæ integritatem innatæ af-  
fabilitati sociatam mirè vene-  
rantur , audacter profitentes :  
non possunt alibi in una sede  
morari auctoritas , & amor :  
possunt in Te. Vir magne !  
raris jam tuis Dei , & naturæ  
donis effecisti , ut omnium a-  
nimos velut aurea compede  
Gallicano tibi cum Hercule de-  
vincires devotissimos ; & ita  
devincires , ut Te tanquam  
*Consolatorem* probent, ac expe-  
tant magnates, diligent popu-  
li , suspiciant exteri. Hæc di-  
cerem, & his longè præstantio-  
ra , Reverendissime Præsul !  
si libelli ratio permitteret , aut  
tua sustineret modestia , quæ  
laudes publicas sanctè averfa-  
tur:

DEDICATIO.

tur: Scilicet virtutis hæc indoles est; quia:

*Ipsa quidem virtus pretium  
sibi, solaque latè.*

*Fortuna secura nitet, nec fas-  
cibus ( laudibus ) ullis*

*Erigitur, plausuque petit cla-  
rescere vulgi.*

Claudianus in consulatu  
Manlii.

Redeo proin ad scopum,  
quem anteà præfixeram, tibi-  
que Præsul gratosissime! opu-  
sculum *Consolatoris* mei sacra-  
tum volo, rem ex asse tuam,  
Tuæque virtutis speculum,  
quod ut paterno & clementi  
fusciplias animo, submissè sup-  
plico. Sed nunquid in tuam  
non pecco Perillustrem Perso-  
nam, quòd tantum Nomen la-

a 6 bori

DEDICATIO.

bori præfixerim tam vili, & modico? Parce! Tua humanitas me fecit peccantem: deprecor!

Vos verò, ò Boni! potentes Superi! in Magno Præsule Ildephonso nobis servate *Consolatorem* in lustra annorum quam plurima! idque ad insigne Divini Honoris, & Benedictini Nominis decus, ac immortalem gloriam. Hæc vovet, precatur, & optat Weichenstephanij 25. Martij. 1727.

*Reverendissimæ, Perillustri  
ac Amplissimæ Paternitati  
gratiosæ*

obstrictissimus servus  
P. Veremundus, Wessofontanus Ord. S. P. Benedicti.

